

Ado autem posset intelligi, exorabit hoc sanctum diffi-
cile est dicere: nisi forte illud sanctum quicquid est
quod deus est, quia & spiritus sanctus qui utique deus
est, neutro genere Græce dicitur τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.
Et forte hoc est, si tamē ille codex verior est, qui emē
dator videbatur, ἐξελάσσεται τὸ ἅγιον, hoc est, τὸ πνεῦ-
μα τὸ ἅγιον, quod Latine genere neutro dici non pos-
test: quāvis & in tribus alijs codicibus vno Græco &
duobus Latinis non invenimus nisi quod supra dixi-
mus, exorabit pro sanctis. Quod potest & sic accipi,
vt non pro sanctis hominibus, sed pro ijs quæ sancta
sunt intelligatur, id est, tabernaculo ipso, & quæcun-
que in eis essent sanctificata domino: vt hoc fit, exora-
bit pro sanctis ab immunditijs filiorum Israël, pro-
pitabit deum pro ijs quæ sanctificata sunt domino
ab immunditijs filiorum Israël, quia in medio eorum
erat tabernaculum. Sic enim sequitur, Nam cum di-
xisset, exorabit pro sanctis & ab immunditijs filiorū
Israël, & ab iniustitijs eorum de omnibus peccatis
eorum: continuo subiicit, Et ita faciet tabernaculo
testimonij quod creatum est in eis in medio immun-
ditiæ eorum: vt adhuc necessaria videatur illa pro-
piciatio pro sanctis, id est, pro tabernaculo & omni-
bus quæ in eo sancto dicuntur. Nam & paulo post hoc
dicit de altari, quōd aspersione sanguinis mundare
illud sacerdos, & sanctificaret ab immunditijs filio-
rum Israël.

LIII. Et perficiet exorans sanctum,
Vtrum, perficiet sanctum: an, exorans sanctum, ses-
cundum id quod supra diximus. Nam & hic neutro
genere Græce dictum est τὸ ἅγιον. Vtrum ergo exo-
rans dominum perficiet sanctum, id est, perfecte san-
ctificat quod sanctificat: an perficiet quod ait exo-
rans sanctum, id est, illud sanctum quod τὸ πνεῦμα τὸ
ἅγιον dictum est.

LV. De duobus hircis, vno
immolando, & alio in deserto dimittendo, quem ἀπο-
ποιπάριον vocant. solet esse discipatio: & a quibus-
dam ille immolatus in bono accipitur, ille autem
dimittendus in malo. Non tamen iste sensus ideo
confirmandus est, quia homo in cuius manu in ere-
mum hircus dimittitur, cum rediret lavare iustus
est vestimenta sua & corpus suum aqua, & sic ingre-
di in castra: tanquam & hoc sit indicium cur in malo
sit ille hircus accipiendus, a cuius contagione homo
abluendus est. Sic enim dicit abluendum, & cum qui
alterius hirci quo in loco acceperit carnes extra ca-
stra combusserit: quia ita de illo & de vitulo fieri iur-
bet, de quorum immolatorum sanguine fit aspersio,

C & sunt pro peccatis: ac per hoc non negligenter istos
rum duorum hircorum distinctio in Allegorica signi-
ficatione tractanda est. Item cum constituisset diem
decimumseptimum mensis sabbato sabbatorum, quo
fieret supra dicta purgatio à sacerdote illo vno qui pa-
tri succedit, loquens de eodem sacerdote ait, Exora-
bit sanctum sancti. Quod iam nescio vtrum aliter ac-
cipiendum sit, quā exorabit in sancto sancti, quodā
genere locutionis, in illo scilicet sancto quōd solus ipse
summus sacerdos intrabat, quod est intra velum vbi
arca erat testimonij & altare incensi. Non enim eū-
dem locum tāquam deum exorabit, sed quia ibi exo-
rabit deum, ita positum est, Exorabit sanctum sancti.
Nam & hoc genere neutro in Græco positum est τὸ
ἅγιον τὸ ἅγιον, An forte spiritus sanctū sancti dei hoc
est, τὸ ἅγιον πνεῦμα τὸ ἅγιον θεοῦ? An potius exorabit
dictum est exorando purgabit? Nam sic verba con-
textit, Et exorabit spiritus sancti & tabernaculi te-
stimoniū, & altare exorabit, & pro sacerdotibus &
pro omni synagoga exorabit. Quomodo ergo exo-
rabit tabernaculum & altare, nisi vt dictum est intel-
ligamus exorando purgabit? Illud quod dicit,

LVI. Illud quod dicit,
Levit. 17 Quicumque occiderit vitulum, aut ovem, aut caprā
in castris: & quicumque occiderit extra castra & ad ostiū
tabernaculi testimonij non attulerit: & in hoc consti-

tuit peccatum, & comminatur facienti: non de ijs di-
cit que occiduntur ad usum vescendi, vel si quid aliud,
sed de sacrificijs. Prohibuit enim priuata sacrificia,
ne sibi quisquodammodo sacerdos esse audeat, sed
illuc afferat vbi per sacerdotem offerantur deo. Ista
enim nec vanis sacrificabant. Nam & hoc in ea consue-
tudine cauendum præmonuit. Cum ergo nō lice-
ret offerri sacrificia nisi in tabernaculo, cui templum
postea successit: vnde & rex Israël Hieroboam vac-
cas facere ausus est quibus populus sacrificaret, ne hu-
ius legis necessitate seducerentur ab eo qui sub regno
eius erant, dum pergerent Hierusalem vt in templo
dei offerrent sacrificia sua, in quo factō à domino cōs-
demnatus est: merito quæritur, quomodo licite sacrifi-
cauerit Helias extra templum dei, quādo & ignem
de celo impetrauit, & Prophetas dæmoniorum cō-
uicit. Quod mihi non videtur alia ratione defendi,
quā illa qua defenditur & Abraham factum, quōd fili-
um deo iustus voluit immolare. Cum enim iubet il-
le, qui legem constituit, aliquid fieri quod in lege
prohibuit, iustus illa pro lege habetur, quoniam au-
thor est legis. Nō enim deesse possent miracula alia
præter sacrificium quibus superarentur & conuince-
rentur Prophetæ lucorum: sed spiritus dei qui fuerat
in Helia, quicquid de hac re fecit contra legem esse
non potest, quia dator est legis.

LVII. Quid est
quod prohibens edendum sanguinem dicit, Anima
omnis carnis, sanguis eius est. Quem totum locum
sic explicat, Homo filiorum Israël aut de proselytis
qui appositus sunt in vobis, quicumque ediderit omnem
sanguinem, & statuiam faciem meam super animam
quæ manducat sanguinem, & perdam illam de po-
pulo suo. Anima enim omnis carnis, sanguis eius
est. Et ego dedi illud vobis exorari pro animabus ve-
stris: sanguis enim eius pro anima exorabit. Pro-
pterea dixi filiis Israël, Omnis anima ex vobis non
edet sanguinem, & proselytus qui appositus est in vo-
bis, nō edet sanguinem. Nunquid nam si animam pe-
coris sanguinem dicimus, etiam anima hominis san-
guis putanda est? Absit. Quomodo ergo ait, non
anima omnis carnis pecoris sanguis eius est, sed ani-
ma, inquit, omnis carnis sanguis eius est? In omni
utique carne, etiam hominis caro deputatur. An
quia & tale aliquid est in sanguine, quia per ipsum ma-
xime in hac carne viuunt, qui in omnibus venis & cor-
poris iunctura diffunditur, ipsam vitam corporis vo-
cauit animam, non vitam quæ migrat ex corpore,
sed quæ morte finitur? Qua locutione dicimus istam
vitam temporalem esse non æternam, mortalem
non immortalem: cum sit immortalis animæ natu-
ra, quæ allata est ab angelis in sinu Abraham, & cui
dicitur, Hodie mecum eris in paradiso, & quæ in tor-
mentis ardebat inferni. Secundum istam ergo si-
gnificationem, qua perhibetur anima, etiam hæc
temporalis vita, dixit Apostolus Paulus, Nō enim
facio animam meam preciosiore quam me: vbi se
ostendere voluit & mori paratum pro Euangelio.
Nam secundum significationem qua anima dicitur
illa quæ migrat ex corpore, magis eam preciosam fa-
ciebat cui tantum meritum conquirebat. Sunt &
aliæ huiusmodi locutiones. Vita itaque ista tempo-
ralis maxime sanguine continetur in corpore. Sed
quid est quod ait, Dedi vobis cum ad altare dei, vt
exoret pro anima vestra: tanquam anima pro anima
exoret. Nunquid sanguis pro sanguine, quasi de nos-
tro sanguine solliciti sumus, cum pro anima nostra
volumus exorari? Absurdum est hoc, Sed multo est
absurdius vt sanguis pecoris exoret pro anima ho-
minis quæ mori non potest: cum manifeste scriptu-
ra testetur in epistola ad Hebræos, illum sangui-
nem victimarum nihil profuisse ad exorandum deum
pro peccatis hominum, sed significasse aliquid quod
prodesset:

Act. 20.

Heb. 10.